Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammlung von Briefen aus dem 16. bis 18. Jahrhundert - K 625

Achenbach, Casimir

[16. Jahrh. - 18. Jahrh.]

3) 18 Maji o. J. ex Abbatia Campaneri (Kempten)

urn:nbn:de:bsz:31-82109

Visual Library

Illustrissimo Servio suo
s. pl. d.

Corn. Valerius Vonckius.

Cogor has literas sub involucro alieno mittere, propterea, quod famulus meus, qui, certi negotii caussâ, aliquot a me diebus abest, epigraphen literarum tuarum nescio in qua cistularum mearum abscondidit. Narro id Tibi narro, gratissimam mihi evenisse epistolam illam, qua me paullo ante abitum meum beasti; quàm egregiam, quàm amicam, quàm denique Latinam, et, ut breviter absolvam, Te di=gnam! Tuas ad Horstium, et reliquas, il=lico curavi. Invisi eundem, et ille me vi=cissim: uterque frustra: domo enim abera=mus. Postea tamen cum ipso fui apud Consi=liarium intimum Burmannum, atque ibi

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Blitterdorffii ipsi caussam, tum tuo, tum meo nomi=
ne commendavi: Respondit, se utriusque caussâ illi bene
factum velle, ut quocum sibi jam optime conveniret:
caeterum duos in legione esse, Centurionis titulo in=
signitos: quos in designatione praeterire non auderet;
nisi semet ipse principis indignationi expositurus.
Respondi ego, haec salvo jure tertii intelligenda,
etiamsi istiusmodi formula in Diplomate expres=
sa non fuisset: neque enim principem (ut in jure Civili
habetur) unquam detractum velle jus suum.
A Blitterdorffio, quem ajebam, salvebis millies:
ego quidem asperrima veneris Dusseldorpio
abscessi: quod diutius istorum hominum mi=
rificam (vere dico) humanitatem sustentare
non possem. Itaque crebris me conviviis istis
expedivi; et nunc in Abbatia Campensi ago,
per triduum ibi ex morbo non sane levissimo

decumbenſ. Brevi Noviomagum, patriam
urbem meam, cogito, atque inde aliorſum.
Haſ interea literaſ volui Tibi teſteſ eſſe
ſincerae in Te venerationiſ meae, quamque
hîc, et ubique, pergam eſſe tuuſ.
Te, Vir Illuſtriſſime, valere porro velim,
et in me amando antiquum obtinere.

Ex Abbatia Campenſi

d. XVIII. Maji

raptim, ut nimium videſ:
itaque, pro comitate tua, ex=
cuſabiſ, ſi quid minuſ recte
dictum. Vale centieſ, ac
millieſ.

G. B. HOFBIBLIOTHEK KARLSRUHE

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg